



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 38. Bellicus Albæ Ducis apparatus ad anni sequentis expeditionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI. lo ad vires jungendas, & pecuniam cō-
A.C. 1556. ferendam hortatur, hinc decretum, ut
 triginta millia peditum Italorum conscri-
 berentur, quorum pars per præsidia
 maritima ad propulsandos classis Turci-
 cæ impetus distribueretur: Altera ve-
 ro pars ad Campaniam Romanam mit-
 teretur. Insuper in Germania sex mil-
 lia peditum conducta fuerunt, quæ per
 Croatiam, & Istriam, ac Julii forum de-
 ducta Tergesti navibus imponerentur, &
 inde transmisso Adriatico sinu juxta
 Aternum, quæ hodie Piscaria est, in re-
 gno exponerentur.

§. XXXVIII.

*Bellicus Albæ Ducis apparatus ad
 anni sequentis expeditionem.*

Thu. l. c.

Jamjam ad exercitum confluxerant
 Duce Casparo Felsio duo millia Ger-
 manorum, quos Albæ Dux statim Ca-
 jetæ navibus impositos ad Popolium Co-
 mitem, quem in Campania Romana
 reliquerat, misit. Evocabantur quo-
 que ex Longobardia quatuor millia Ger-
 manorum, quibus Albericus Lodronius
 præerat. Expectati pariter fuere ex
 Hispania tria peditum millia, quæ jam-
 jam Barcinonam attigerant: insuper E-
 quitatus novis delectibus auctus est,
 mille quingentis Equitibus: denique
 Albæ Dux de modo, quo limites tueri
 possent,

possent, deliberabat cum Ferdinando **Sæcul. XVI.**
 Gonzaga, hic vero Regni fines adeo non **A C 1556.**
 esse deserendos censebat, ut potius suaderet, quatenus valida præsidia Civitellæ, Aterno ad Fruentum, nec non Theatinæ Civitati, Ariano, Artemisio, Apuliam versus, ac denique Capuæ, & Nolæ urbibus haud procul Neapoli sitis imponerentur: in quam sententiam statim Albanus, & omnes iere, & Nolæ quidem muniendæ, ac custodiendæ cura Vespasiano Gonzagæ commissa est, Capuam vero Sanflorianus munimentis firmare, & Garsias Toletanus Venusium, & Artemisium, quod nunc Agathæ Fanum appellant, necnon Arianum tueri jussus est: insuper Trivico negotium datum, ut cum copiis, quas habebat, in Apulia se contineret, atque ibi viarum aditus insideret: eoquod ageretur de Neapolitani Regni Provincia redditibus longe amplissima, unde haud temere timebatur, ne Galli hac ex parte irruptionem facere molirentur.

§. XXXIX.

Bellum in Etruria a Montluco continuatum.

Postquam Montlucus Pontificem valere jufferat, in Etruriam venit, vices Subisii expleturus, quem Henricus Galliarum Rex revocaverat. Attamen Mont-

D d 2 lucus